

vota coloni efficiant? Quod si addam, comparatione magnitudinis Cometæ institutâ cum toto vortice Solis, vix illum æquare rationem grani salis respectu duorum vel trium aquæ milliariorum cubicorum? numquid constabit illum licet in pulverem, seu exhalationes, ex quibus conflatum esse volunt, resolutum, permodicam vel potius nullam in hoc vortice alterationem esse allaturum.

§. XV. Sed mirari satis non possumus usque adeo humani ingenii excrevisse vanitatem, ut ex leviuscula, quam habere possumus Astrorum cognitione, ex diversis eorum conspectibus & motibus, imo & nominibus, quibus illa designare placuit Astronomis, quæque illis non magis conveniunt quam nomina arboris, vel molendini, repertum tamen fuerit omnibus fermè sæculis *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax*, sic enim designat Tacitus L. 1. Hist. c. 22. quos impugnamus, Astrologos, qui artem excogitarint, per quam res futuras prævidere possint, imbres, serenitates, ventos, fulmina, bella, Imperiorum & Regnorum desolationes, prosperam vel adversam hominum fortunam, eorum actiones & sortes maxime singulares vaticinari ac prædicere. Et, quod stuporem non potest non injicere, hanc artem, quam Astrologiam Judiciariam vocant, ita invaluisse, ut non solum apud Ethnicos atque infideles homines obtinuerit, sed apud ipsosmet Christianos, cum tamen nihil eâ Providentiæ divinæ in rebus humanis ludenti magis adversetur.

§. XVI. At perfacile est fallaciam vanitatis pollicitorum ejusmodi eludere, si sequentia tantum attendamus. I. Astrologi carent principiis, quæ iis ostendant, Astræ